32

Verkehrter Jurist/
SEU
SINE LEGE MONSTROSUS JURE-CONSULTUS,

Quem

D. O. M. V.

SUB PRÆSIDIO,

VIRI

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI,

DN. ARNOLDI MAURICII HOLTERMANNI,

J.U.D. Consiliarii Hassiaci, Pandectarum PROFESSORIS celeberrimi, p.t. ACADEMIÆ RECTORIS,

In Auditorio ad Lanum,

Publicè ventilandum proponit ad diem Decembr. horis solitis,

JOHANN. BARTHOLDUS Kuhlmann/

Ex Hellinghausen-Lippiacus.

Typis JOHANNIS HENRICI STOCKENII, 1680.

Thes. I.

FOetorem nonnullis Cauſidicis excitavit olim Diſputatio noſtra *de Nequitia Advocatorum*, qui, horum quaſi Judicum ab æquiſſima æquitate alieniſſimorum, cerebrum lædens, ex eo procedere multas faciebat ſiniſtras loquelas, quibus facilè credentibus imponere volebant per fallaciam cauſæ non cauſæ; nec loquelas tantum, ſed & minas,(fulgur ex pelvi,) quæ tamen intra alapas & verbera fuêre,quas minas, garritus & hominũ quaſi oſcitantium ructus, liber ego & ingenuus, qui nec mordere nec latrare volebam, in libera Alemannia facilè contemſi, cum immortali illo Belgarum Heroe MAURICIO Naſſovio, cui, cum aliquando minaces ab hoſte redderentur literæ, reſpondi: **Der Brieff läſſt ſich biegen / es iſt kein Spieß darinnen.** Sic nunc ſeculum eſt, ſi vera dicimus, non ſumus voluptati: ſi ſumus voluptati, vera non dicimus. Parricidium defendere, eſt parricidium committere: crimen falſi eſt, malum & falſum, quod in aliis deprehendimus, excuſare vel diſſimulare: Jurisprudentia noſtra eſt rerum divinarum & humanarum notitia, juſti atque injuſti ſcientia: injuſtum ergo quod eſt, hoc rerum publicarum Æſculapii ſollicitis articulis in Academiis ſtudioſæ Ju-

venturi & exponere & ſanare debent. Scientiam injuſti habere debemus, ut ei poſſimus obviare: *peccata enim nocentium nota eſſe & oportere & expedire*, ait JCtus in *l. 18. ff. d. injur. & famoſ. libell.* Fateor, camarina in Rabulis, pietatis & probitatis veſpillonibus, diſputatione illâ noſtra non fuit intacta, qui ſcilicet venerandum cauſidicorum munus dehoneſtant tricis ſuis & involucris, qui leges in liquido jure ut ceram habent, & pro animo & lucello ſuo, huc illuc flectunt: utque libra in eam vergit partem, unde plus accipit, ſic illi nunc huic nunc illi favent, qui plurimum dat, non cujus cauſa eſt melior: Aſt veris ac ſolidis JCtis hac ipsâ Diſputatione odor fuit excitatus fragrantiſſimus, quando imperitiâ vel malitiâ memoratâ, magis eluceſcit vera Sophia, magisque tyronibus & Studioſis ad artis indagandam veritatem commendatur. Sit igitur & hic nobis amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas & publica utilitas.

II.

HOc fine non tam bonis ȧvibus quàm bono cum Deo, nunc publico & fortè malignis oculis etiam præſens diſputatio *de ICto monſtroſo* exponitur, ut ad veriores & melioris notæ JCtos propius accedamus, ſuperficiarios autem ac decipientes longius fugiamus, aut ad meliorem frugem ſi convaleſcentiæ ſpes omnis non defluxerit, reducamus: non eo conſilio, quod edentula hæc diſputatio debeat aliquem mordere, aut quod velim quemcunque Doctorem, Profeſſorem, Advocatum & Licentiatum conviciari aut injuriâ afficere, aut clandeſtinis verbis famam eorum lacerare, etſi aliquando indignatio ſeverius dictitet vocabulum nobis. Ita in Medicina annon dantur obſcœni & vitioſi adminiſtratores, qui artem ſacram & nobiliſſimam altis quaſi ſordibus corruptam, ſepelirent, ni aliquot ſaltem veri & conſcientioſi Medi-

Medici eam ſeveriori ſtudio ſervarent incolum em, ne ſordidiſſimis cogatur ſuccumbere hominibus, quos deſperatio deficientes in Theologia, Jurisprudentia & Philoſophia efficit medicaſtros, ad quos refero, non tantum opibus & fortuna fractos mercatores & milites, circumforaneos hiſtriones, lictores & carnifices, ſed etiam tot mulieres medicatrices, monſtra medicorum, ſenſu non alienato ſed nativo: de quibus vide *Ieremiæ Cottæ diſputationem inauguralem de Medico monſtroſo, habitam in Academia Heidelbergenſi, ſub umbone Celeberrimi Medici Georgii Franci, Profeſſoris longè clariſſimi.* Habent ſcilicet, omnes diſciplinæ ſuæ lumina, habent etiam ſua propudia: nec ſtrenui tantum pugnatores, ſed lixæ etiam & calones Apollinis caſtra ſequuntur: hinc inter medicos ſunt medicaſtri: inter Theologos novimus ματαιολόγυς: Philoſophiæ habitu & τριβωνοφορίᾳ fallentes etiam jura notant, *l. 8. C. d. Profeſſ. & Medic.* Eadem fortuna eſt optimæ rerum Jurisprudentiæ, quæ & ſuos habet *Papinianos*, & ſuos quoque *Speculatores* & *Forcatulos*, *Oldenb. in dedic. claſſ.*

III.

PEr monſtroſum ergo JCtum hic non intelligimus aut volumus ſuggillare talem, qui ex naturæ inclementia ſaniori corpore eſt deſtitutus, pede claudum, corpore pygmeum, tergo gibboſum, collo incurvatum, facie defœdatum, aut ullum alium, quem natura miſerum & monſtroſum finxit, ſed monſtroſum hic voco JCtum, qui propria culpa ac temeritate horrendam iſtam expertus eſt metamorphoſin, quem ita, ſi placebit, definio: *ICtus monſtroſus eſt ſiniſter ac perfidus Iuris & juſtitiæ interpres, artis ac verorum ICtorum auctoritatem ludibrio exponens*: qui novæ, neſcio cujus ſapientiæ ſtudiis mancipatus, priſcam illam & quam antiquitatis veneratio & Romani nominis majeſtas & ſua ipſius pulchritudo commendat

mendat Jurisprudentiam, è medio ſublatam cupit: qui ex conſilio & præmeditatus ſolerter ac ſpecioſè Clientes & Auditores circumvenit, & conſcientiam ſuam turpis lucri gratiâ malè docendo & conſulendo ſaluti proximi onerat: qui moliri audet, quod nunquam didicit: qui facit, quod toti arti infenſum eſt: cujus farinæ quærere homines vix quicquam habet laboris aut difficultatis, obvii ſunt ubivis: nam ut hodię haud quaquam metuenda JCtorum caritas ac raritas, ita & monſtroſorum cœtus eſt uberrimus, ubivis naſcuntur inter eruditos, *ut arvenſe inter frumenta lolium*: nimia fœcunditas JCtorum horum infauſtiſſimum ſtatum maximè juvat, ex hac ſunt hi monſtroſi fœtus, hi vituli & hi monſtroſi tauri, qui aliam Jurisprudentiam civilem quàm Romanam, ſine ulla lege aut ſupra omnem legem fingunt & jactitant, ſed argumentis quæ prorſus podagricis inſiſtunt pedibus, quorum vim nondum potuimus olfacere. Hi omniſcii JCti, cum tamen nihil bene ſciant, Jurisprudentiæ noſtræ leges eripiunt, & quicquid in profanis auctoribus, cujuscunque generis hiſtoricis & poëtis occurrit, pro legalibus ſanctionibus ſtudioſæ Juventuti venditant, pejores Scythis, qui hominibus ſuis oculos effodiebant. Rectè *Philip. Melanchthon in Orat. de leg. Moneo juniores ut inſulſos & ſeditioſos clamores eorum explodant, qui hoc Romanum jus vituperant & ſomniant ſe novas leges condere poſſe. Horum ſtultitiam non refutabo longâ oratione, cum quidem vera, gravis & ſplendida refutatio opponi poſſit. Sed nunc in hac temporis anguſtia eam omitto, tantum apologum recitabo, qui illuſtri imagine oſtendit, quales ſint illi novi Nomothetæ. Simia, quæ capta ab hominibus, aliquamdiu viderat urbes, domos, hominum congreſſus, theatra, ſpectacula, ludos; Poſtea elapſa rediit ad ſimias, ac narrat quid viderit, hortatur ut hominum imitatione condant domos, quibus tegantur contra tempeſtates, & addant mœnia adverſus leones, lupos, homines:*

nec

nec tantum hac utilitas proponitur, sed commemorantur theatra & spectacula. Horum imitatio magnas voluptates paritura videbatur; Placet ergo consilium & dimittunt vetulæ simiæ juniores ad materiam cedendam & saxa convehenda. Sed hic deprehendunt stultitiam suam Simiæ; deerant secures, & ratio nulla erat vel cedendæ materiæ vel coagmentandi lapides; denique ars tota architectonica deerat: res igitur cogit eas id, quod stultè instituerant, omittere: harum simiarum cum similes sint multi, qui hoc Romanum jus sapientissimorum & peritissimorum hominum deliberationibus scriptum & deinde illustratum vituperant, & stultè somniant se meliorem politiam condere posse, deliramenta explodenda sunt, quorum quanta sit vanitas etiamsi juniores nondum videant, tamen senioribus & peritis credant, non temerè leges sapientum & peritorum judiciis latas, receptas, comprobatas, mutandas esse.

IV.

AST verus & non personatus JCtus, ut ab antiquis fabulis ut ante Justinianum fieri solebat, non permittetur ut jus iterum hauriatur: imò uti absque lege nihil temerè asseverabit, ita nec sine certa juris auctoritate quicquam facilè statuet, sed legibus, juri & juris dispositioni tam in theoria & praxi strictè inhærebit: quod lege non cavetur, in practicâ non habebit. *l. dissentientis. 5. ibi: nulla juris præcipit constitutio. Cod. d. repud. Carpz. part. 1. crim. qu. 7. n. 11.* neutiquam tenemur credere absolutissimo Viro, nisi dictum suum probet per authenticam scripturam, *c. 5. dist. 9. c. 86. X. q. 3. Everh. loc. 81. n. 1. l. 95. n. 12.* Glossæ nihil alleganti, nihil etiam credendum: Si ultra legem sapere, ultra theoriam practicare, ultra instrumentum cantare licet, quis rogo usus erit JCtorum & interpretum? Sunt JCti domestici legis, apud quam tanquam mutum patremfamiliâs versantur, cujus nutus exactissimè norunt. Qui

sine

ſine lege loquuntur nimis alte volant ſine pennis, ideoque non mirum, ſi velut Icarus cadent. Cognol. in *l. frater cum fratre. ff. d. cond. ind.* quo ſenſu *D. Lutherus* hoc dictum etiam facit ſuum, ſæpius enim dixiſſe memoratur: JCtis familiare eſſe, ut dicant non licere quicquam pronuntiare, niſi ex præſcripto legis, multò minus debere tolerari, ſi quid absque Sacræ Scripturæ teſtimonio dicatur. *Sleid. lib. 1. Hiſtor. in anno 1518.* Summa hæc eſt: quæcunque interpretes juris Romani tradunt, ea vel inſunt legi, ſi non exertè, ſaltem neceſſaria quadam ac dilucida conſequentia: vel à lege dicta aut intellecta demonſtrari nequeunt aut non demonſtrantur: Si prius, non ex ſeſe auctoritatem habent, ſed ex lege quam illuſtrant, ad quam ideo, velut ad Helicen, tota mentis acies convertenda erit: ſin poſterius, rejiciuntur: dedecet enim JCtum ſine lege loqui. *l. L. P. in præfat. ICti ver: & non perſon.*

V.

SI hoc verum, uti jam probabimus, cur non miſſis aliis profanis auctoribus & rivulis, ex ipſo potius fonte puros liquores petere velimus? Cur multiplicato labore ſequi malumus ambages? Cur lutum malumus ex Acrone, Porphyrio, Horatio, Ovidio, Virgilio, Euripide &c. nec non aliis auctoribus non JCtis, ſed Oratoribus & Poëtis, qui ad cauſarum deciſiones, ad hanc Andromachen noſtram nil faciunt: miſeret me profecto horum eruditiſſimorum hominum & hujus eruditionis in jure civili, ſine aut ſupra Corpus juris civilis: Rectè clariſs. JCtus *Balck. Orat. de commod. perd. jur. rat. Illud quidem multum referre puto, in quem quis Magiſtrum incidat: jus enim noſtrum, ſive ejus tanta eſt difficultas, ſive ingenii humani tanta imbecillitas, ut vix ſine aliquo qui viam præmonſtrat, ſaltem incommodiſſimè perdiſci poteſt: Huic quippe bono Academia inſtituta, ut cum αὐτοδίδακτοι rari ſint, juvenes in facultatibus*

bus

bus ac ſcientiis, quas per ſe addiſcere nō poſſunt, publicè privatimque doceantur: præceptorem igitur talem velim, qui diſcipulos ſuos aſſidue ad Juris textus & ad ipſos legitimæ ſcientiæ fontes hortetur atque ableget. Fruſtra ergo & gratis ſtatuitur *ſupra leges civiles* aut *ſine his legibus* aliam dari Jurisprudentiam civilem, aliud jus naturale & gentium, longe excellentius, noſtro jure civili Imperio Romano ubique recepto, ex quo ſolummodo velut ex equo Trojano proveniant vulgares tantum Advocati, plebeji ac minuti JCti, Rabulæ, Cauſidici, Procuratores, Profeſſores inepti, Leguleji, Pragmatici, puri puti aſini, non vero cordati JCti, non Juris Statores, Anteceſſores, non Papiniani, non Statiſtæ, non tales, qui ad Imperatores, Reges, Principes in Legatorum & Conſiliariorum numero poſſint poni. Sed vomitus hic eſt *Patuvii, qui Papiniano* nunquam excidiſſet.

VI.

EX hoc errore publico cum gemitu etiam hoc fluere videmus, quod pernoſcendis certi ac finiti juris principiis & fundamentis ritè locandis, ſatis nunquam hodie temporis impendatur, meditationis ac curæ. Omnis diſciplinæ duo ſunt percipiendi modi, prior procedit ab univerſalibus principiis ac præceptionibus in cognitionem rerum quarumvis ſingularium, animo probè jam inſtructo & defuncto: qui modus veris JCtis maximè eſt uſitatus, imo proprius, quem qui bene intellexit & didicit, quid in quaque re faciendum ſit, ſibiipſi præcepit: ſimilitudine ab arte jaculantium accepta id illuſtrat *Seneca: Ep.95. Quemadmodum qui jaculari diſcit, deſtinatum locum captat & manum format ad dirigenda quæ mittit: cum hanc vim ex diſciplina & exercitatione percepit, quocunque vult, illâ utitur: didicit enim non hoc aut illud ferire, ſed quodcunque voluerit.* Alter modus procedit & totus pendet ab au-

ctoritatibus Doctorum & singula particulatim quia petit, vulgi ingenio servit ? vulgus enim qui operam suam juri locant hodie, priorem modum contemnunt, & ideo quid statuendum & respondendum in quoq; negotio, alienâ fide dicunt, corrogant aliorum sententias, JCtos citant velut in pompam, obscurissimis honorem sæpe habent non exiguum, quoties scilicet in terminis terminantibus rem definiunt. Qui ergo cognitionem juris hinc suspendunt, ipsam quasi limitibus revulsis Jurisprudentiam in infinitum proferunt, & difficillimam reddunt, complexu imo artium numero prorsus eximunt. Hoc casu fit id quod *Tacitus* habet: *Pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum exemplo, exemplis docentur.* Ita ex artifice ars, non ex arte artifex judicatur, quod indignum est vero JCto: Rectè ait *Clariss. Oldendorp. in dedic. class. Versatus jam aliquot annis, in functionibus, tum privatis, tum publicis, animadverti, tam variis auctorum qui praxin juris tractant, traditionibus judiciorum cognitionem conquassari, ut plerumque Judices ipsi cum litigatoribus non inveniant litis exitum: unde cùm quædam velut immortalitas controvertendi nascatur, fit, ut non solum res familiaris & nunquam rediturum tempus inutiliter consumatur, verum etiam distrahantur amicitiæ, succrescant odia, ex litigatoribus paulatim in utriusque familiam diffusæ; tandem ex lite non ita magna totius Reip. tranquillitas disturbatur. Et hoc quidem malum ex eo genere est, quod prius sentire quam cognoscere solemus. Vidi ego multos Judices minimè malos, nec indoctos, qui nulla re magis se gravari deplorabant, quam inconstantia allegationum ex jure, quorum quisque suos auctores produceret.* Huc pertinet illud *Ciceronis: in jure inquit civili docemur non infinitis concertationum plenis disputationibus, sed auctoritate nutuque legum*: ast hodie ait, *Clariss. Vigelius in meth. observ. Cam. Imper. ab hoc jure jamdudum aberramus & docemur*

nunc

nunc non auctoritate legumque nutu, sed infinitis concertationumque plenis disputationibus & Doctorum opinionibus incertis, sibique invicem contradicentibus: quam rem incertum ac lubricum Imperii statum sequi necesse est. Hæc causa quare Facultas nostra & olim in consiliis suis & responsis toti orbi notissimis, & hodie adhuc in iis quæ inedita asservantur apud suos clarissimos auctores, non tam solet decisiones suas firmare per congeriem, globum, exercitum & plaustra Doctorum à suis partibus stantium, quorum auctoritates non nisi sobrie citare solet, sed legum robore & rationum pondere: nôrunt enim hæc supervacua esse, & neminem his terriculamentis moveri debere, qui leges & juris Romani rationem ritè perspexerit.

VII.

PRæter ergo aut *supra leges civiles* & harum rationes, qui Studiosos Juris deducunt ad alios auctores non JCtos, ad aliud jus naturale vel gentium, & ex naturalis rationis solius æquitate leges scriptas statuunt esse interpretandas, gravissime errant, cum non sufficiat leges tantum esse æquas, sed requiratur etiam ut sint ad fœlicitatem civilem idoneæ & prudentissimè latæ, quare ad interpretationem legum nostrarum ex bono & æquo faciendam, & ad hanc ἐπιείκειαν interpretandam sola non sufficit naturalis ratio, sed insuper opus est arte juris & legitimæ scientiæ, nî velimus in quæstione de bono & æquo, sub auctoritate juris scientiæ pernitiosè errare *arg. l. 91. §. 3. ff. d. V. O.* Sensit nimirum JC. Celsus hic junior, non defuturos nasutulos, sciolos, qui ingenii amplitudine excitati, doctrinâ verò cassi, æquum quid esse judicant, quod maxime est iniquum: & ita, ficta, cerebrina æquitas, duplex erit iniquitas, ait hic *Clariss. VVissenb. in comm. ad R. I. 90. ex Bald. cons. 9. n. 3. l. 1. Thoming. decis. 16. n. 17. Duaren. de judic. cap.*

de var. jud. pr. Quid hoc aliud est, quam jus Romanum, ob incertitudinem suam & veritatem, olim miserè constitutum & conturbatum, à *Justiniano* verò laudatissimo Imperatore ad certitudinem aliquam & methodum redactum, iterum velle confundere, permiscere & in antiquum chaos redigere: omnes certè ante se natos Cæsares *Justinianus* in hoc studio vicit & æternam meruit in emendanda Jurisprudentia laudem: nam ut ipse loquitur, *cum reperiret omnem legum tramitem, qui à Roma condita & Romuleis descendebat temporibus ita esse confusum, & in infinitum extendatur, ut nullius humanæ naturæ capacitate concludatur, per contrarias interpretantium sententias &c.* tunc cœpit impetum secundo statim imperii sui anno ingentem hanc juris sylvam cœdendi, habito utiliorum ac certorum præceptorum delectu & resecatis superfluis: quomodo, quo ordine, quibus instrumentis, quanta diligentia & cura, quanto temporis spatio hoc sit factum, vide JCtos clarissimos, *Iacob Gothofr. Histor. jur. c. 8. Tr. Balduin. in Justin. Rebhan. in hodog. jur. chart. 1. Struv. Syntagm. jur. civ. Exerc. 1. th. 68. Stirn. in Nomoth. Rom. Germ. tit. 20. §. 8.* nos enim post *Homerum* Iliadas non scribimus, sed judicium Scipionis Gentilis de jure hoc tantum allegabimus, cui enim non dictus Hylas? *Tota Europa*, inquit, *in Orat. d. ll. Ad hunc usque diem sua sponte, non imperio coacto, jus Romanum & Codicem Justiniani colit, sanctissimisq; in rebus habet: Taceo Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, quæ quatuor maximæ & nobilissimæ nationes Europæ numerantur: in ipso Imperio Turcico summam esse Justiniani Codicis venerationem & auctoritatem in judiciis quis non obstupescat? Atque hoc viri optimi & doctissimi scribunt, qui se etiam vidisse Constantinopoli Codicem hunc propositum in tribunalibus, atque ad eundem tanquam ad oraculum Cadilescheros illos (Iudices sunt) recurrere affirmant: Neque tamen hoc in Turcis, in Romani Imperii domicilio nunc habitan-*

bitantibus, tam est admirandum, quam olim fuit in Colchis, quos Agathias insignis scriptor historiæ non barbaros esse, neque ita vivere, ex eo probat, quod in civile & legale vivendi genus ex consuetudine cum Romanis traducti fuissent.

VIII.

VAleant ergo aliorum graculorum censiones, quæ facilè elevantur, quibus nec ciccum suum Plautus nec nauci Afranius mutaret: æquiores & saniores Judices majores nostri fuêre in Germania communi nostri patria: in qua cum olim literarum secreta viri pariter & fœminæ ignorarent, & plus valerent boni mores, quam alibi bonæ leges, scilicet Romanorum, ita ut ad seculum usque quintum in legum non scriptarum observatione acquieverint, quo seculo demum nonnullæ Gentes Germaniæ, Franci, Burgundiones, Vestrogothi, Ostrogothi, Longobardi leges sibi conscribere cœperunt, Romanorum lingua & literis: quas *Carolus* deinde *Magnus* seculo VIII. correxit, & confirmavit, v. g. Saxonibus, quorum leges latinâ lingua digessit *Eccardus à Rebkaa* seculo XII. & postea Otto I. Imperator confirmavit; cui juri Provinciali dem Land-Recht/ anno Christi 1440. accessit jus Magdeburgense, Weichbildt dictum: quæ duo jura constituunt *Speculum Saxonicum*, quod non tantum magno in honore fuit in Germania, sed & ipsa Polonia, è quâ olim Magdeburgum provocatum, & postea hoc jus in supremo castro Cracoviensi practicatum. Postea in Germaniam seculo XIII. Jus Pontificium promulgatum à Gregorio IX. quod in omnibus nationum Christianarum Academiis & Curiis fuit admissum, usque ad tempora Protestantium, apud quos magna ex parte vim suam amisit. Hoc etiam est seculum illud, quo germanicè scribendi incepit frequentior usus, quo majore quam hactenus studio conscripta sunt tam publica quam privata ju-

ra,

ra, ſcilicet Conſtitutiones Imperii ſeu Receſſus, primum latino ſunt editi ſermone, poſtea vernacula lingua, pauci tamen usque ad Maximiliani tempora, ſeculo XV. quo Romana jura pedem Germaniæ intulerunt ex Italiâ, in qua ſeculo XII. circa tempora Lotharii, in quibus hujus juris auctoritas crevit per Bononienſes, qui Academiam ſuā anno Chr. CIↃ CXXII. erexêre, in qua jus Juſtinianeum à Bulgaro, Martino & Jacobo Hugone explicatum: ex hac Academia, hoc jus poſtea penetravit in Galliam, Hiſpaniam & noſtram Germaniam, in quâ ſeculo XV. receptum in Academias ac ſerius poſtea in fora, tunc ſcilicet, quando Maximilianus I. communi Statuū Conſilio in Comitiis Wormatienſibus An. MCCCCXV. Judicium Cameræ formaliter inſtituit, ut eſſet totius Imperii Germanici Judicium univerſale, commune civium perfugium atque extremum Juris aſylum R. A. zu Augſpurg de anno 1530. §. Dieweil nun unſer/rc. atque conſtituit, ut ſententiæ in judicio illo Auguſto ſecundum leges Romanas pronunciarentur. Vide Ord. Cam. de anno CIↃ CCCC XV. in quo Aſſeſſoribus manifeſtè injungitur, ut ſecundum jura communia, nach deß Reichs gemeinen Rechten / judicent. *Struv. vide Syntag. civ. Exerc. II. tit. 35.* quæ etiam practicari debent in altero ſummo judicio dicto Aulico der Reichs-Hof-Raht/ quod præter Camerale natum in aulà Cœſaris, cujus decreta Reviſioni non ſubjacent, ſed omnia ſunt ἀνυπεύθυνα, *In alia fora lege Imperii publica jus Romanum non eſt introductum. Sed obſervare licet, partim conſuetudine quadam tacita partim Principum, Comitum aliorumque quibus eſt ferendorum ſtatutorum arbitrium conſtitutionibus diverſis temporibus, in diverſis locis, obſervari illud cœpiſſe. Ex quo enim judicia Romani illius juris Doctoribus ſunt commiſſa, fieri vix aliter potuit, quin eorum multi illius juris cujus audiebant Doctores, quam priſcarum Germaniæ legum ac conſuetudinum cumperitio-*

ritiores tum observantiores hujus Romani juris usum sensim introducerent: praesertim apud plebem quoque enata juris illius utut ignoti, prae antiquis institutis singulari existimatione: nec amplius, ut olim, plebe legum suarum curam gerente, de omni hoc negotio paucis, qui quasi legum Domini hinc redditi, concredito. Conring. d. Orig. Iur. Ger. c. 33.

IX.

CUr autem hoc jus Romanum, non tantum in universa Europa, sed & in Germania nostra sit receptum, si non in foro semper, attamen ut plurimum in Academiis & Scholis, etsi ego hoc jus tantae aequitatis, tantae perfectionis esse non existimem, ut omnibus illud Rerum publicarum formis regendis idoneum sit, quod (1.) universus rerum usus refellit, cum nulla sit hactenus Respublica quae universas leges *Justinianeas* admiserit, nulla, quae non earum multas rejecerit vel illis alias adjecerit: quod (2.) nulli Romani legum Romanarum auctores ausi sunt inepta superstitione de legibus suis affirmare, quarum maxima pars ex constituto, non ob aeternam justitiae rationem sed utilitatem suae Reip. obtinuit, sicuti hoc probant perpetuae harum legum vicissitudines & mutationes: quod (3.) principiis naturalibus directò contrariatur, cum impossibile sit, ut lex civilis positiva vim justi naturalis semper assequatur: certè quando ab universalissimis pronunciatis discedimus, saepius honesti & inhonesti ratio non amplius comparet, sed illius locum utile vel inutile occupat. Vide *Schrot. Justinianum restitutum & destitutum th. 48.* attamen credo verissimum esse *clariss. Struvium* nostrum *libr. d. vind. priv. c. 1. aphor. 2. n. 4.* si cum grano salis accipias: *nullas* inquiens, *meliores aut aequiores invenias legibus Justinianeis, utpote quae à prudentissimis ICtis, Imperatoribus postea confirmantibus, ex ipsa naturali aequitate sunt deductae & per easdem*

jus Naturæ egregie est excultum : unde etiam plurimis in terris recepta & ubique magnæ sunt auctoritatis. Vide eundem *Syntag. jur. civ. Exerc. II. th. 36.* Certè in nostra Germania ideo ex liberrimo Ordinum Imperii arbitrio ob aptitudinem suam hoc fuit receptum, postquam Doctores in Italia educati, legum & consuetudinem Germaniæ imperiti, judiciis & Scholis nostris admoti jus illud ab æquitate & prudentia tantopere commendârunt, v. g. *Bald. ad l. nemo C. d. sent. & inter l. omn. jud Romanæ leges,* inquit, *ut ratio naturalis omnibus imperat. Baro lib. 1. d. jur. benef. tit. 2. & ad* legem, *si reus Cod. d. pact. Libros nostros Iustinianeos*, ait, *velut salvas ex magno naufragio tabulas, religiosissimè semper colimus, quando nihil hodie melius habemus ad cujus exemplar nostras Respublicas instituamus & gubernemus. Arth. Duyck. l. 1. c. 2. §. 2. de usu & auct. Jur. Rom. Deus pro singulari providentia sua in genus humanum erexit & excitavit gentem Romanam in Imperii fastigium, ut per ea daret leges orbi terrarum tam pias, justas & salutares, quales nec ab ullo Rege populoque datæ unquam fuerunt.* Quis potest omnia elogia Doctorum nostrorum huc apponere? certè mihi non placet hic illis inequitare.

X.

NOn levem errorem hic errant illi sed prorsus insulsum, qui Romanas leges admissas esse cessent in Germaniam ideo, quia Germania sit verum Imperium Romanum; aut quia Romani Germanos sibi subjecerint: infrunitum hoc est dogma, imò ridiculum, circa quod tamen, hoc est, circa nugas, nonnulli JCti in orbem volvuntur, cum contrarium ex historicis rerum Germanicarum etiam notum possit esse illis, qui nondum ære lavantur, quod scilicet Imperio Romano nihil juris fuit in Germaniam, sed Reges Romanos jus tantum habere in Imperium Romanorum: imo Germaniam nunquam

quam verè partem fuiſſe Romani Imperii, ſed Remp. ab ea diſtinctam: certè nullibi meminit Roma, ſe in Provinciam redegiſſe Germaniam, liberrimam illam Rempublicam, imo adeo liberam, ut pulſa undique terrarum libertas ſoli Germaniæ relicta videretur. *Lucian. libr. 7.*

Libertas ultra Tanaim Rhenumq; receſſit,
Germanum Schyticumq; bonum.

Etſi trans Rhenum & Danubium à Julii Cæſaris usque temporibus per tot ſecula bellum perpetuum cum ea geſſerit, imo ne quidem omnes Germani, qui cis Rhenum vixerunt, omni ex parte Romanis fuêre ſubjecti, imo nonnulli cum illis ſocietatem coluêrunt, fratres Rom. ideo dicti, quod diſertè teſtatur *Tacitus* de *Batavis*, Inſulam Rheni habitantibus *lib. d. mor. German. & lib. 4. Hiſtor.* & doctè hoc deducit *Grotius libr. de antiq. Reip. Batavia c. 2.* quanquam & translatione illa Imperii noſtri portio, quæ olim Cæſaribus paruit Romanis, jam dudum ætate Juſtiniani hoc jugum abjecerit. Nec obſtat, quod ſtatim in proemio Inſtitutionum *Juſtinianus* ſeipſum vocat, *Alemannicum, Gothicum, Francicum, Germanicum, Anticum, Alanicum, Vandalicum*: quia cognomina hæc ſunt à populis partim nunquam, partim ſemel victis, nunquam domitis & videtur titulos iſtos aliquanto ambitioſius conquiſiviſſe *Juſtinianus*, quare *Theudibertus* Francorum Rex graviter tulit, quod Juſtinianus velut devicta Francorum gente, Franci titulum ſibi uſurparet, vid. *l. 2. §. 2. C. d. off. præf. prætor. Afric. Agath. Hiſtor. 2.* I. Jul. Cæſar Buleng. 1. d. Imper. Roman. *Gregor. Tholoſ. 6. d. Rep. c. 11. inf. & c. 13. alleg. à Clar. VViſſenb. in procem. Inſtit.* ubi ait: cur non ſe etiam appellavit *Britannicum Juſtinianus*, cum *Severus & Antoninus Eboraci* in *Anglia* reſcripta dediſſe legantur *l. 1. C. d. R. V.*

XI.

VEram ergo & genuinam causam receptionis Juris *Justinianei* in Germaniam quandoque exposuimus, ipsam scilicet fuisse æquitatem naturalem & convenientiam cum communi utilitate, ob quam Germani ad has leges tanquam communem totius Europæ ἐυρομίαν confugêrunt de negotiis enim, quæ unquam inter privatos oriri possunt, ex fundamentis rectæ rationis & veris juris naturæ principiis demonstrandis, non tantum agunt hæ leges, sed etiam omnibus in universum Rerumpublicarum formis aptari possunt, si pauca nonnulla, quæ juris merè positivi sunt detraxeris, nonnulla addideris, quædam uberius explicaveris; et si quæ à statu præsenti longius abire videntur, convenientius eidem aptaveris, quapropter non à Germaniæ modo & plerisque Europæ, sed etiam extra eam gentibus paulo cultioribus non temerè certè aut sine ullâ ratione sunt receptæ: vide *clariss. Ioh. Eichelium in præf. comm. ad tit. de div. Reg. Iur.* Quod si ita est, verba eorum sunt infabricata; quibus JCtorum sæpe postremissimi, spretò hoc jure civili & hujus juris legibus & rationibus, aliud solidius jus crepant, *naturale, Gentium*, ex quo oriuntur Juris gentium Doctores & Professores, quos *Naturalistas* vocant, & importuni sæpe sunt Aristarchi & polyloquides, principiis juris civilis convellendis tantum operam dantes, illudque nævis investigandis illustrantes, ideoque in re tenui sæpe tumido sunt spiritu & de hoc jure non tantum sedent Judices, vel Titium aut Mœvium atro carbone notant, sed in omnium Facultâtum eruditos omnes feralem protinus & de plano ferunt sententiam, Plautini militis instar, qui legiones gentium spiritu difflabat, ut ventus folia: cum tamen scire deberent, magnam hujus naturalis juris partem in Romano jure explicatam, & ipsas hujus juris leges positivas certo niti fundamento, nec so-

lo

lo cœco arbitrio stare vel cadere, sed suas quoque habere naturales rationes, petitas ex illo etiam jure, quod non tam in codicibus quàm cordibus hominum Dei digito primitus est perscriptum, & postea in Decalogum, quem Psalterium decem chordarum vocat *Augustinus* regestum, & à Salvatore nostro Interprete maximè authentico, luculenter est explicatum, totisque adeo sacris literis absolutissimè comprehensum & à venerandis Ecclesiæ Patribus diffusum ad orbis Christiani cultum patet: ad quod jus civile, quod & τοπικὸν & χειρῶδες dicitur, prope accedit, & imperio ejus determinat & complet: imo jus naturæ quasi suum facit & integrat, facta nova applicatione ad humanos animos, quare jus mixtum nonnulli vocant, cum tamen ab illo sit diversum: sicut aurum non ideo fit gemma, quod ei inseratur Sapphirus. In tenebris ergo palpant, qui hoc civile jus progerminare autumant ex principiis juris naturalis, ut collectionem in Syllogismo ex primis propositionib⁹: nam si ita efflorescèret ex naturali jure & huic continuaretur, non faceret diversum genus juris, non magis, quam jus gentium: ast ab hoc postulatur ut proprio stet principio, nec regatur ab alio jure, sed sit quasi regula ipsa, flexos habens oculos ad honestatem & utilitatem certi alicujus cœtus tam communem quam propriam, quare jubet ac prohibet, quæ nec prohibet, nec jubet natura, sed suadet tantum aut in medio relinquit: quare refutatione indigni sunt illi JCti, qui illud jus naturale & æquitatem naturalem cum experientia sufficere credunt continendis aut regendis civitatibus, & juris civilis, cujus tanta est necessitas, Doctores & Professores vellicant & infamant, maximè eos, qui non in tenebris palpant, sed in expositione hujus juris civilis nostri recepti peritè discernunt & ubique diligenter ostendunt, magni Apollines, quid civile sit, quid naturale, & unde hujus juris interpretatio sit capienda, sine ulla confusione principiorum

juris, ut hoc artem denotat, sive Jurisprudentiam, vel ut denotat objectum artis seu leges: vel sine confusione civilis prudentiæ, quæ Platoni dicta βασιλικὴ seu αὐτεπιτακτική, & ἐπιτακτικὴ simpliciter, cujus tres facit species, regiæ tamen scientiæ cognatas & ministras, *Imperatoriam*, *Oratoriam*, *Iudiciariam*: vide *Dialogum*, quam περὶ βασιλείας inscripsit. *Iuduciariam* porro in duobus faciunt consistere membris, (1.) in jure reddendo secundum leges præscriptas, quod Magistratus est proprium (2.) In illis dextrè interpretandis, supplendis & cautim ad singulares casus accommodantis, quod JCti munus est. *Bernh. Suth. de nat. & pr. Jurispr. diss. 1. ad inst. n. 2. 3. 4.*

XII.

NOn possum hic silentio præterire distinctionem probè notandam, quam *Vir Clariss. Ioach. Hopperus* de *vera Iurisprudentia*, quam ille distinguit in *primariam* & *secundariam*: illa dicitur *Nomothetice*; quia jure legibusque condendis & de conditis judicandis, Reipublicæ regendæ gubernandæque præest: ars regia, quam in antro Jovis per totos novem annos Minoa didicisse *Homerus* prodidit. Hæc est *Dicastice*; & non circa leges condendas sed conditas exsequendas & judicia secundum ea exercenda versatur, quam Poëta Rhadamanto tribuit: de utroque putat loqui Davidem, quando ait, *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram*: illa definitur, quod sit *ars ac scientia civilis ac regia, quâ justitia in hominem ac Remp. per jura ac leges inducitur lib. 1. t. 5.* Hæc est *ars, qua ex illa desumpta, viam ac rationem tradit, quâ jure legibusque exequendis & ad effectum deducendis, justitia in Remp. inducitur*, quod quia per judicia potissimum efficitur, nomen inde accepit. *libr. 4. t. 6.* Intelligentia utriusque Jurisprudentiæ non alio modo paratur, quàm rectâ docendi & discendi ratione, quæ tribus interpretandi generibus continetur,

netur, quæ non confundenda, v.g. *Scholasticâ*, quæ ferè in ſcholis locum habet: *forensi*, quæ in foro, & politica, quæ in Republica; quanquam omnes ſint omniū, quia quæ in Scholis traduntur, præparant ad ea animos, quæ in foro & Republica geruntur: attamen politica interpretatio, quæ ab eo nomen habet, quod in Senatu ac Republica, ubi de legibus condendis ac corrigendis agitur, & utrū rectè lata ſint nec ne inquiritur, non debet tractari in communibus ſcholis, in quibus Juvenibus traditur Dicaſticè, ſeu ubi leges Juvenes, non autem judicium de legibus, quas ut Deas colere oportet, addiſcere debent, neque in foro & tribunali, ubi ſecundum leges, non de iis eſt judicandum: Dicaſtæ ergo licet Nomothetis ſint proximi, & aliquam etiam circa leges, inferiores conſtituendas & corrigendas partem aliquam obtinere debeant, ſi tamen hi ſupra leges ſe efferre volunt, vel omiſſis legibus ſtudioſam aliter exercere vel informare, ex principiis Nomotheticę, nec bonos efficient theoreticos, nec bonos practicos; qualis enim erit futurus ex vagarū & non determinatarū legum, citra cognitionem ſpecialium legum vulgaris Jurisprudentiæ theoreticus? Qualis pragmaticus? Profectò ſi Juris Romani Interpretibus ita liberum erit ſuo indulgere genio & extra oleas vagari, jactabuntur in incerto & ad alia tranſibunt omnia, quę pro ipſo textu, pro lege, pro rationibus juris venditabunt, cum tamen nihil minus quam tales ſint: imò tandem ad prorſus non cogitata devenient, & contra ipſas leges & legum latoris mentem docebunt. *arg. l. 65. ff. d. R. I.* Sunt ergo in viam, in ordinē, ad principia & rationes determinatas Juris noſtri Juſtinianei revocandi hi interpretes & per haſce frœnum injiciendum huic licentiæ, ne nimium evagentur, ne continuò promiſcuas rationes juxta arbitrium excogitatas pro legibus & conſtitutionibus habeant, prout vel captus illorum admittit, vel affectus ſuggerit, prout callidus quisque magis, aſtutus,

ſagax & opinionum novarum gignendarum fœcundus, earum tuendarum tenax, rixoſus, aut graviori auri pondere à Conſultatoribus emptus, ut perrumpat ſapientiſſimarum Romanarum legum noſtrarum repagula.

XIII.

Singularem hanc juris Romani præſtantiam nobis deſcribit *Hugo Grotius* in *Epiſtola ad Gallos, 156. ad Lud. Aub. Maurerium: Sed planè rogo, quod dicere multis ſoleo, veriſſimum credas, nihil eſſe homine nobili dignius, quam cognitionem juris. Primum quidem ejus, quod omnes homines hominibus & gentes gentibus ſociat: deinde verò patrium, cujus partem non exiguam facit jus Romanum à plerisque populis adoptatum, per ſe quoque ſupra omnium civitatum jura digniſſimum noſci, ut quod perfectum excultum ſit experimentis tam magni, tamque diuturni Imperii. Quicquid à Decemvirûm tempore ad Juſtiniani usque tempora Viri maximi, & judicio & ſanctitate morum & eruditione præditi, ad firmandam illam civilē ſocietatem reperire potuerunt, id omne in Digeſtis primum deinde Codice & connexis ei libris continetur. Tam evidens denique eſt ejus in plerisq. partibus, iis maxime, quæ ad contractus & damnum injuria datum pertinent æquitas, ut ad quos populos Romana arma pertingere nunquam potuêrunt, ut in Poloniam vicinasq. gentes, eo leges Romanæ ſine vi ulla, Juſtitiæ ſuæ vi triumphantes pervenerint.* Hoc præclariſſimum tanti viri eloquium bene illi perpendere deberent, qui Jus à *Juſtiniano Magno*, collectum iniqua perſtringunt cenſura, atque plurimis locis à juris & æqui principiis alienum eſſe, illudque multò melius ex ejusdem *Grotii* libro *de jure belli & pacis* hauriri poſſe temerè non verentur aſſerere, cum *Grotii* mens nunquam fuerit in dicto libro tradere Juventuti Jus Romanum; aut agere Doctorem & Profeſſorem juris Romani, quod & ipſe fatetur in prolego-

menis, *sed explicare principia Iuris naturæ, eaque probare testimoniis Philosophorum, Historicorum, Poëtarum & Oratorum, non quod illis indiscrete credendum sit, quia solent sectæ causæ argumento servire, sed quod ubi multi diversis temporibus ac locis idem pro certò affirmant, id ad causam universalem referri debeat, quæ in nostris quæstionibus alia esse non potest, quam aut recta illatio ex naturæ principiis procedens, aut communis aliquis consensus: illa jus naturæ vindicat, hic jus gentium*: &c. Et qualia quæso hic *Grotius* principia juris Romani traderet, cum ubique ea vocet in dubium, contra ea disputet, ea elevet & à Romanis legibus, quæ nil aliud sunt, quam jus naturæ à veteribus JCtis prudentissimè excultum, toto cœlo discedat; imo quæ ex jure Romano sæpe hic mutuatur *Grotius*, aliorsum quàm debebat trahit & jus nostrum civile non aliter tractat ac iratus miles: imo sæpe nescio quid novæ æquitatis fingat, & intra sui capitis cancellos jus naturæ & æquitatis regulas concludat, peculiarem legislationem sibi quasi arrogans, ex talibus principiis quæ meliori jure spongiam merentur, v.g. *Grotius* statuit cōtractu emptionis, venditionis, perfecto sine traditione Jure naturali transferri dominium; Jus civile asserit contrarium & rectius & convenientius juri naturali quo emptio & venditio est indifferens, etiam quoad speciem actus, quo dominium transferendum, consensu solo an traditione? Illud cultiores populi Hebræi, Græci, Romani non sunt amplexi, sed hoc, quod ideo juri naturali conveniens esse dicitur, §. *41. Inst. d. R. D.* Et quod quæso difficultates orituræ essent in Republica, si nudo consensu, nuda verborum emissione dominia transferrentur?

XIV.

Non est hoc meum propositum hic carpere egregium illud *Hugonis Grotii de jure belli & pacis opus*, quod Roma-

na inquisitio anno hujus seculi 27. in numerum vetitorum librorum retulit, ut videre est Elencho *Francisci Magdaleni* quod nonnulli etiam Romanensium Theologi improbant: imo contrarium statuo, hunc librum inter præcipua seculi nostri ornamenta numerandum, quem nemo amare vel æstimare potest, nisi qui inde profectus sui rationes expedivit, unde & *Grotius*, nisi qui easdem artes, eosdem artium fontes, quibus Grotius assuevit, imbibit. Sed, quis hodie, ô fortuna seculi & Scholarum, præsidia gravioris doctrinæ amplius quam supremis labris delibans, *Grotium* in abstrusioribus rebus per auctores variorum auctorum vetustos eruendis, atq; per argumenti cujusque ingenium & mensuram subtiliter & peritè dispensandis per omnia æquabit. *Clarissimus* inter literatos seculi nostri *Böclerus* de *Grotio* usurpat quod de *Panætio* *P. Rutilius Rufus* apud *Posidonium*: *ut nemo pictor esset inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret, (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat:) Sic ea quæ Panætius prætermisisset & non perfecisset propter eorum, quæ fecisset præstantiam, neminem esse persecuturum*: & idem laudat Serenissimum gloriosissimæ nunc memoriæ Principem Electorem, quod publicè in sua Academia Archipalatina, erudiendis ad amplioris fortunæ cultum ingeniis, recitari explicarique jusserit electum è multis opus hoc *Grotii*: non tamen diffitetur, sed ingenuè confitetur, *Grotium*, legibus civilibus ut fundamento non niti, sed tantum quæ suo proposito illustrando idonea putat inde mutuari & afferre, cumque non interpretem voluisse agere juris civilis, cujus Studiosi alios utique Doctores sibi adeundos esse scire debeant. Abusum ergo istum & errorem hic damno, de quo olim in literis suis ad me ita rescripsit, *Vir Prænobilissimus, Præstrenuus, Magnificus & Amplissimus, Dominus* JOHANNES HENRICUS à DAUBER, JCtus excellentissimus, Hassiæ &

Academiæ Marpurgensis Pro-Cancellarius meritissimus: *Nonnulli sunt*, ait, *quibus fractura Triboniani non dolet, qui non ægrè ferunt tot sarcasmis impeti Justinianum Imperatorem laudatissimum, juris nostri conditorem indignissimis exagitari modis ab illis, qui sacratissimo legum latori omnem suum honorem, famam & existimationem debent. Indignor mirum in modum, quoties Auctorem juris tot tantasque video pati contumelias. Quis Patronus à suis clientibus hoc ferat, quod Imperator à suis subditis? Vbique vapulat, hic in methodo peccavit, illic in rationibus, re & materia: hic falsi accusatur, illic damnatur inscitiæ. Hic testimonium Triboniani, omnia inter se concordare, in dubium vocat: ille facinora ejusdem, quæ in legibus hinc inde admiserit millibus millenis numerat. Quis ad hæc non perhorrescat. Facilius vero talia exprobrari Justiniano ab iis qui in alio orbe nati jus civile nostrum non pro lege sed ratione tantum agnoscunt, inter quos Antonius Faber & Hotomannus, Viri cætera ingeniosissimi & doctissimi, sed in Tribonianum nimis injurii: talem verò maledicentiam & in iis reprehendi, qui Imperii Romani cives Jurisque Doctores & Interpretes Juris nostri, majestatem summis nisibus defendere debebant, vix est ut quis sine summa indignatione videre possit: nihil sanè facilius est quam culpare & reprehendere &c: rectius facerent si defendendæ legum dignitati invigilarent & ingenium suum exercerent, eruendo verum è puteo Democriti: Reinhardi Bacchovii Viri eximii libros legi, ut non sine utilitate, ita nec sine stomacho, quoties in tot convitiorum plaustra, quibus Juris auctores æquè ac doctissimos quosque Interpretes onerat, oculos conjeci. Qui quidem, ut alios prateream mihi nihil agere videntur, quam ut nobilissimum studium Juris contemptu exponant, studiosos ad pigritiam provocent, & si dicere liceat, propria vineta cædant aviumque quarundam more proprium nidum contaminent.*

XV.

Frustra ergo & non ſine confuſione legum noſtrarum jam promulgatarum & in foro receptarum, ſeu juris civilis Romani ad uſum fori & rerum actum accommodaturi rationes decidendi petimus cum *Grotio* ex Philoſophis, Hiſtoricis, Poetis, Oratoribus aut aliis literatoribus: domi enim nobis hæ ſatis naſcuntur: quis enim dubitaret, veteres illos JCtos, quos toties laudat *Grotius*, juris naturalis & univerſalis non fuiſſe peritiſſimos & ex hoc Oceano infinitas rationes nobis in legibus & reſponſis ſuppeditâſſe, etiamſi ſæpe juris naturæ & gentium nullam fecerint mentionem: Cur ergo his ſpretis, ab aliis ineptis & impiis ſæpe auctoribus eas oſtiatim tanta cum temporis jactura & animorum & ſtudiorum diſtractione emendicare volumus? Cur à *Grotio* petere velimus rationes, quibus ille noſtræ Jurisprudentiæ petit jugulum? Rationes dico illius juris naturalis, quod non melius *Grotius*, nec ullus Ethnicorum explicat, quam Spiritus Sanctus in libris utriusq; fœderis, quibus Deus fidem & mores hominũ erudire ac regere voluit, & in Decalogo, cujus duo traduntur capita ſeu tabulæ, *diligere Deum, diligere proximũ*: in quibus verbis ſumma eſt legis naturæ & promulgatæ: annon ſecunda tabula quaſi proprium objectum eſt JCtorum? Annon ea quæ ex corde deſumuntur Scripturæ ſunt ad convictionem ſcientiarum fortiora? quare ea juris naturalis pars, quæ in jure Romano non explicata, ſupplenda ex hiſce monumentis juris naturalis ſanctiſſimis, certiſſimis, uberrimis: Jus naturale non melius quam verbis Dei explicatur, quod à *Grotio* factum non audet, nec vult, nec poteſt aſſeverare *clariſſ. Boclerus*, *Gloriatur*, ait hic, *ille quidem ſibi ubique curæ fuiſſe, diſcrimen antiquæ & novæ legis, ut loquitur. Sed hoc ipſum eſt fundamentum cui ſuperſtruit errorem perpetuum ac intolerabilem, quo Legis divinæ*

næ naturam & conditionem, Legislatoris Dei consilium ac propositum, Servatoris Christi officium ac disciplinam pervertit ac confundit: eaque inde deducit placita quæ multis ambagibus implicant doctrinas, longe explanatius semper in Ecclesia traditas tradendasq́: scilicet hoc Socini scriptis nimium acclamatis debet, quod omnibus suis operibus infausta illa emblemata inseruit, ad quæ nauseant piæ, simpliciusque & sanctius divina oracula & sanctorum Patrum volumina tractare solitæ mentes. Nihil esset utilius opusculo illo de veritate religionis Christianæ, sed hi nævi faciunt, ut adolescentulis non satis præmunitis, commendare vereamur. Laudo, ait, & admiror Grotium: *Sed Theologiam ejus deploro, vel cum interpretatur Scripturas, vel cum de interpretibus sententiam dicit; non magis feliciter ei successit affectata theologicæ eruditionis laurea, quam Salmasio suscepta cum JCtis disceptatio: non quin uterque multa præclara, ad loca Scripturæ & juris civilis attulerit; sed quod Theologiæ & Jurisprudentiæ formam, suis membris aptam, suis articulis consertam, suo naturali contextu perfectam, neuter animo comprehenderit. Igitur pro Grotio, optimè dixerit arbitror, qui Scriptura sacra eum in hoc opere uti de jure belli & pacis, non ut principio quod vocant: neq́ ut Seldenus de jure naturæ & gentium juxta disciplinam Hebræorum egit; Ita Grotium de eodem, juxta disciplinam Christianorum voluisse commentari, crediderit. Longe enim aliter fuisset incedendum, si hæc itineri meta proponeretur: quod optabile quidem esset non uno nomine:* maximè quando nullum caput jus naturæ est, quod non ex perversis seculorum & gentium moribus aliquando fuerit violatum: uti hoc verum esse demonstrat jam ante laudatus, *libr. 1. c. 6. d. jur. nat. & gent. Seldenus*, longe perfectior juris naturalis ac Gentium Doctor ac interpres, quam *Grotius*. Idem hoc alii de *Grotio* censent: *Gesenius* in editione Epistolarum ejus lacunas nimis crebro occurrentes, ubi asterisci pro ver-

 bis

bis apparent, ita excusat: *mallemus quidem omnia integra esse, sed extruserint illo consilio Batavi, quod forsan vel in Remp. vel in religionem suam fuerint injuria. Quum proh dolor? Vir cætera magnus circa divina sæpe desipit? ita ut hic magnus ille Hugo sit magnus Nugo, dicente maximo Theologo Abrahamo Calovio, qui & illius ingenuum* ἀλλοτριοεπίσκοπον *& Syncretisticum probè depictum dedit: quid de aliis etiam in religione ipsi propioribus, Riveto, Salmasio, dicam, de eodem Vertumno conquerentibus.* Vir reverendus *Christianus Schotanus* in libro, quem inscripsit *Heptameron*: ostendit veram originem mundi nescivisse, & ideo de *Grotio* hic ait: incogitanter & imprudenter locutus est Vir summus, infœlix religionum arbiter & Christianæ parum prudens defensor hic non tantum sed & in aliis multis: incogitanter locutus est *libr. 1. de verit. relig. Christ. art. 16. Nam quæ ille, Moses de mundi origine scripta reliquit, eadem fermè erant in antiquissimis Phœnicum historiis, quas à Sanchuniatone collectas vertit Philo Biblius, partim apud Indos & Ægyptios; unde apud Linum, Hesiodum & Græcorum plures, Chaos, ab aliis, ovi nomine significatum &c. exstructio*: & paulò post: *Quis dixerit Spiritum Dei esse tenebrosum aëra, & quidem ortum primo ex ipso Chao, nisi lubeat Socino dare, quod nec materia sit à DEO creata, & Spiritus ille aliud quid sit, non Dei spiritus.* In annotatis *ad Gen. 1. 2. ubi & nos inspicere, quæ dixit in libris de veritate Christianæ religionis: eo autem in loco Spiritum Dei Sociniastice aut paganicè interpretatur* δύναμιν διαπλαστικὴν ἢ ἐνέργειαν ζωτικὴν, *ut velit animam mundi potius fingere quam consensui Orthodoxo accedere.* Et *Jobi* locum *cap. 26. v. 13.* ad eandem impietatem detorquet: incidit igitur Vir summus in impietatem Gentilium, quam in Mosis narratione hic vult nos accipere. Pergit porro *Vir Reverendus: adeo non dixerunt aliquid hic Ethnici sapientes, quod Mosis narrationi conveniret, sed quod dedoceri debent adducendi*

ad

ad Christianam religionem. Imaginem Dei & dominium in animalia ita conjungit Grotius veritatis prævaricator, ut in hoc & scientia sive ratione, quo ad dominium idoneus est, solis imaginem Dei positam esse doceat, annotatis in Gen. 1. v. 26. &c. *Si in hoc solo quod dominetur & ratione valeat, jam & imaginem Dei gestant pessimi mortalium & dæmonia. Legitimum dominatum etiam in gentium potestatibus Dei imaginem habere & filii Dei denominationem ipsis addere nullus abnuo, at ut Satan gestet imaginem Dei sine blasphemia dici nequit. Cur non Apostolum laudat, qui docet, quid sit imago Dei?* Quasi vero Gentilium sapientes ex communi errore dixerint, licet aliquando scripserint, quibus convincatur stoliditas communis, quodque fiat vero proprius, quæ fermè eadem sint cum mysteriis Scripturæ reconditis, inter quæ est rerum creatio & hominis formatio ad Dei imaginem, *Grotius* quidlibet arripit, ut veritatem Christianæ religionis notam fuisse Gentilibus comprobet, sed probanda est Christiana veritas, ut ejus nihil derogetur sublimitati: Diabolus scripturâ utens, scriptura fuit superatus: alia ratio est partis illius Scripturæ, quæ agit de rebus Theologicis, alia ejus quæ de moribus: moralia *insita humanæ sunt menti & inscripta est libris natura Dei majestas, sed facta Dei & SS. Trinitatis mysterium latet gentes; quicquid hic conetur* Grotius *magnopere à verâ ratione hic devius, humeris suis molem immensam & non tractabile pondus imponens.*

XVI.

NOndum nausea hic est plura de Grotiana Theologia corrogare præclarissimorum Theologorum testimonia: nec auctoritas ejus hic mihi tanti, ut hoc fidejussore cum nonnullis, quia umbrâ hujus Viri se tuentur corrumpam veritatem, eamque exulem esse jubeam. *Reverendus* admodum *Maresius* in Anti-Christo revelato de hoc Viro illustri hoc

usurpat: *Vbi bene, nemo melius, ubi malè, nemo pejus. Hoc ultimum illi, inquit ferè perpetuum est in Theologicis, dum Reformatorum odio & novitatis studio transversus abripitur. Poterat & Theologus censeri, si nihil ad Theologiam scripsisset*: & alibi: *Grotii quoties intueor eximias dotes, occurrit illico dictum Agesilai de Pharnabazo. Talis cum sis utinam noster esses! prodiit grande illius opus in Evangelistas, recondita quidem eruditionis plenum, sed suis quoque nævis scatens & erroribus non paucis, dum Pelagianismo & Socinianismo faventior studet: Vix oculis meis fidem habeo inter legendum, & miror sæpius, qui possint tam delicato aliàs palato tam insulsæ Pontificiorum opiniones bene sapere: non sine numine factum, quod ubi seriò & palam veræ religioni adversari & Papismo & Anti-Christo militare cœpit, tot parasanguis à seipso dissidens in fœdissimos lapsus inciderit & indignos quovis mediocriter literato, nedum illo culmine & fastigio quod hactenus obtinuit. Hei mihi qualis eras, quantum ab illo mutatus Hectore: nempe solet Deus se deserentes & contra stimulum calcitrantes etiam deserere justoque suo judicio sinere, ut excidant proprio honore, qui θεόμαχοι dum fiunt gloriæ illius quasi ex professo, adversari incipiunt: nihil possumus contra veritatem sed pro illa, &c.* Et quis potest Reverendi Viri in *Grotium* hic dicta & monita ordine enumerare? Quis omnia loca indicare, in quibus eum humanitus aliquid passum esse ostendit? Jam dudum hic nimius sum: ne tamen quis putet *Reverendi Maresii* aculeatæ facundiæ hæc dicta imputanda, audiemus prorsus similia à *Reverendo Voetio Politica Ecclesiastica part. 3. tract. 3. d. Eccl. separ. un. c. 3.* ibi: *insigni certè miosi Rhetorico advocatoriæ horrendas blasphemias* Serveti excusatum ivit: *conferri huc possent non pauca ex notis ipsius in N.T.* & *libr. de jure pacis & belli, nec non de veritate religionis Christianæ, quæ in nonnullis tacitam cum Socinianis erroribus symbolizationem præ se ferunt, ut à Viro docto, nunc*

μακα-

μακαρίτῃ cœptum notari; etiam à Caſparo Zieglero Iuris Antecesſore VVittenbergenſi in notis & animadverſionibus ad Grotii libros de jure belli & pacis. Et eodem libro *tract.4.ſect.2.de libert.prophet.cap.1. Grotius cœtera Vir admirando ingenio & multiplici eruditione celeberrimus in varias libertatis formas religionem ſuam mutavit: primum enim, nudis Remonſtrantium quinque articulis libertatem poſtulavit, in Pietate Ordinum cum valida proteſtatione contra Socinianiſmũ & Papiſmum: deinde rebus mutatis Socinianiſmum in aliquibus ſive ex ἀκρισίᾳ ſive ex certa intentione & in gratiam Remonſtrantium, ſive ex ingenii exſuperantia & ἰδιοσυγκρασίᾳ minus deteſtari cœpit ut videre eſt in libro de jure belli & pacis, in notis editis ad Decalogum, ad Epiſtolas Iacobi. Tunc mutata velificatione ob cauſas ipſi notas ad Syncretiſmum cum Papatu validè navem impulit.* Hic non poſſum non citare in teſtimonium optimũ Virum & examuſſitatæ pietatis & doctrinæ Theologum, Reverendum *Coccejum*, qui in *Ezechiele c.39. §.24. mire* dicit *Grotium extenuare Sacram Scripturam & §.27. qui explicat SS. ut Grotius, ſeipſum ridiculũ facit & S. Scripturam proſtituit deridendam. &c.* Huic Coccejo præſtantiſſimo Viro mercedem gratam cum memoria non ex ſolvere mera brutalitas eſſet, cum fuerit δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, ſi ullus: qui non eſt ſolitus ſua ſcripta ex hominibus conſarcinare, & tamen ut Novator, quaſi ea quæ in Eccleſiis noſtris rectè tradita & explicata ſunt, velit novis præſtigiis conturbare & obruere, traducitur in Diſputatione quadam cui titulus, Διπλοῦ κάππα, quæ non ita pridem ſolide in Belgio eſt refutata. Ego certe neſcio quis fluvius vanitatum raptet Spiritum hujus hominis, exiſtimantis quaſi, veritatem ſecundum pietatem non amplius indicandam: quaſi majores noſtri credenda ita determinarint, ut non anhelaſſent ad ulteriorem profectum, ſed ſecundum ἀναλογίαν fidei: quaſi legem ſibi dixiſſent non amplius quicquam

quam discendi ex S. Scriptura : quasi posteritas non posset ultra majores sapere, cum Ecclesia serior sæpe didicerit, quod posterior ignoravit: cum ex SS. sperandum sit, quod discipuli præcedant Doctores & Pastores : ita enim præit nobis illa ad hanc gloriationem, *Præ omnibus meis Doctoribus profeci, quia testimonia tua, meditatio mea*. Quando ergo Sociniana secta, hominis infausti Socini, Itali tartarea proles, omnium hæresium est lerna, omnium errorum falerna, ultimum Christiani nominis dedecus ? miscellam enim voluit facere ex Alcorano, Thalmuda & Evangelio hic nebulo, quare ejus religio est omnium hæresion nefaria colluvies ac cento : præcepta ejus ego nominare hic tremo, secta nulla unquam simul tot infandos errores sectata est : nulla Medea vel noverca tot aconita vel venena una miscuit, Atheorum, Libertinorum, Sadducæorum, Judæorum, Manichæorum, Arianorum, Ebionitarum, Photinianorum, Samosateniorum, Marcianitarum, Anabaptistarum, Epicuræorum, Mauronitarum, Pelagianorum &c. miror ego cur nonnulli ex *Grotii* potius libro de jure belli & pacis in tot locis *Socini* ubera sugentis, malunt haurire non sine periculo intoxicationis animorum Jus naturale, quã à veris seu orthodoxis Philosophis & Theologis, qui hujus juris veri & authentici sunt Doctores, ex Sacra Scriptura, quæ continet Deo dignam sapientiam cui conscientia debet adstipulari : quam Deus ordinavit in testimonium postremæ generationi, ex quâ veritatem Dei & hujus æterni juris debemus solida fundamenta, legere, docere, discere. Juvenes nunquam nimis sollicitè arceantur ab arbore vetita boni & mali : *Pro captu lectoris habent sua fata libelli* : habuit etiam hoc *Grotii* opus; habuit *Cartesius*, qui, quia infœliciter usus est verbo dubitandi, ideo insimulatur atheismi vel pseudotheismi, cum tamen primarium Philosophiæ naturalis objectum statuat ipsum Deum & à cognitione suæ existentiæ pergat & veniat

veniat in notitiam Dei, quem necessario probat existere, ad cujus tanquam primi entis pulchritudinem contemplandam non possunt nimis multæ lampades accendi ast è contra, non sine periculo ait *Gassendus*, ubique regnat in Scholis Philosophorum Aristoteles, quam *Tycho Brahe* ostendit fuisse atheum: de cujus dogmatum eversione librum scripsit *Postellus*: ex quo olim hæretici, hodie atheistæ, sic enim docet: Deum non esse conditorem mundi: mundum esse æternum ante & post: Deum non providere rebus inferioribus, Deum esse agens non liberrimum sed necessarium: religionem esse artem regnandi populos & continendi in officio, inferos & superos esse fabulas legislatorum: post mortem nec præmium, nec pœnam, nec sensum homini remanere, &c. *Cartesium* ergò in multis Academiis iidemus fortunam subire, quam olim in Pariensi *Aristoteles*: in quâ libri ejus igni addicti & lectione ejus interdictum: postea paulo mitius cum eo actum donec anno 1545. ortâ inter Petrum Ramum & Sorbonistas illâ contentione *Aristoteles Rami* odio, qui tunc damnatus fuit, pristino honori restitueretur: perinde ut contra *Ramus* aliquo post tempore absolutus denuo & Professioni Regiæ restitutus, *Caroli Lotharingii* Cardinalis favore: luculentissimum inconstantiæ ac incertitudinis humanorum judiciorum argumentum, eundem modo Doctorem, prout sors mutatur, modo extollentium, modo deprimentium: quare præceps omne judicium vitandum, nec subito ac tam petulanter alicujus doctrina condemnanda. Sed manum de tabula, & nolo ego esse unguis in hoc ulcere quia non debeo Professionis meæ Academicæ fines & terminos violare & rapere alia ad aliud territorium.

XVII.

PErgo rursus ad Studiosos Juris civilis, statuoque eis in principio studii Juridici sæpissime de methodo velut maritim

quodam salis æstu fluctuantibus, hunc canonem, hanc regulam quasi perpetuam, quà quasi in littore tutissimo, fida statione adversus insurgentes dubitationum fluctus mentes eorum quasi immobiles placidantur: scilicet, *erubescit ICtus sine lege loqui*, *Bald. part. 1. Consf. 340. c. fin. Cothm. V. 1. Consil. 1. n. 591. Carpz. in processf. Tit. XI. a. 5. n. 40. & tract. de jur. fœm. sing. decis. 2. pos. 1. n. 41. Georg. Mundius. V. 2. Consil. 21. n. 18. Ludvvell. Exerc. Inst in. VI. th. 10. A.* Recentiores ita efferunt, ut superius jam dictum *quod lege non cavetur, in practica non habetur. Philip. usu pract. instit. lib. 1. Ecl. 45. n. 10. pag. 148. Carpz. pr. crimin. p. 1. 4. 7. num. 12. & p. 2. q. 87. num. 57. fin. Hartm. Pistor. l. 24. 13. n. 36. vers. alioquin locum habet illud vulgatum*: Alii ita formant regulam: *Iudex*, adde, & *Doctor & Professor & Studiosus Iuris, non debet prudentior, clementior aut severior esse lege*: vel ita: *Absque lege nil temerè asseverandum: sine certa juris auctoritate nil quicquam facilè dicendum. Lex quod non dicit, dicere nec nos non debemus. Schrad. de feud. p. 10. sect. 7. n. 24. 42. & 49. item part. 10. sect. 6. n. 153. 210. Quod lex non requirit, nec nos requirere debemus. Id. pag. 6. Cap. 3. n. 6. Quod jus commune non requirit, nec nos requirere debemus. Quod lex non prohibet, nec nos prohibere debemus.* Id. *ibid. p. X. Consf. 17. num. 66. Ubi lex non distinguit, nec nostrum est distinguere, aut distinctionem, ubi non est, fingere, l. 32. pr. d. recept. arbitr. l. 3. f. d. Off. Praes. l. 2. §. 1. ff. d. judic. l. 7. ff. d. postuland.* Item sub hac formata regula proponitur: tacente scriptura, nec nos loquamur. *Marq. d. jur. mercim. singul. lib. 1. c. 18. n. 17.* & sub ignotiori paulo habitu: Unius exclusio est inclusio alterius, *Carpz. 2. Resp. 41. n. 25.* Unius inclusio est alterius exclusio: *Carpz. id. 3. Resp. 113. n. 7.*

XVIII.

XVIII.

Regulæ hujus genuinus ergo ſenſus, etſi pluribus proferatur formulis, non eſt ille generalis, hiſtoricus, de relatione facti hujus vel illius, quod qui loquitur vel deſcribit, nil debeat ultra dicta vel facta ſuperaddere, ex quo veritati alia pingatur facies vel ſpecies, quod & contra officium boni Viri eſt & contra officium boni Hiſtorici vel Hiſtoriographi, qui ſcapham ſcapham, ligonem vocare debet ligonem, non verò rotundis permutare quadrata, aut facere, *Candida de nigris aut de candentibus atra*: quare proprium Hiſtorici teſte *Luciano eſt*: μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύειν. Talis Berneggero non fuit Sleidanus, quando tale de eo profert judicium, *procul ira, procul odio, ex Archivis cum ampliſſimæ Reip. Argentoratenſis, tum aliis actis publicis ſtatum Religionis ac Reip. candidè vèreque adſcripſit, & de quo certis auctoribus mihi conſtat, Imperatorem Carolum V. hoc tuliſſe judicium, aut Sleidanus fuit meus Cancellarius, aut mei Cancellarii fuerunt mei proditores; ejusque lectione delectatum obſtupuiſſe & commendaſſe veritatem*: non obſtante contrario *Carolovitii* judicio, prolato affectu oſtentationis, arrogantiæ aut invidiæ, ideoque nec tanti ut turbare debuiſſet clariſſimum Hiſtoricum *Matthæum Dreſſerum in Orat. d. uſ. Hiſtor.* Sed hic eſt regulæ dictæ ſenſus ſpecialis & juridicus, quod omnis lex JCto ſit quaſi ſtricti juris, quod Advocatus poſtulando ultra eam progredi nō debeat, nec Judex aliud jus quàm in eâ reperitur reddere, nec docendo diſputandoque Interpretes aliud jus tractare ultra verba textus debeant: non enim de legibus quarum certa eſt ſententia oportet diſputare, ne multa eaque certiſſima ſubvertantur, ne ſub æquitatis ſpecie vis & auctoritas legum eludatur *l. 21. ff. d. ll. l. 91. §. 3. d. V. O.* Lex enim hoc affert inter homines, ut habeant quod in judicando ſequantur, quamvis

forte id quod ſequimur non ſit melius & æquius : in rebus enim & negotiis certi aliquid erat definiendum! rectè *Auguſtinus* libr. *de verâ relig. c. 32.* In iſtis inquit , temporalibus legibus , quanquam de his homines judicent , cum eas inſtituant, tamen cum fuerint inſtitutæ , & firmatæ, non licebit Judici de ipſis judicare , ſed ſecundum ipſas. *Struv. Exerc. II. S. C. th. 47. Vinn. ſelect. jur. quæſt. lib. 1. c. 2. Frantz. ad tit. d. ll. num. 22. & ſeqq.*

XIX

HUnc verum eſſe canonis & regulæ ſuperius datæ ſenſum, per rationes & auctoritates facile poteſt probari: (I.) intutum eſt JCto aliquid ſtatuere citra legis auctoritatem, non ſecus ac profeſſori alicui eſt intutum, fundum tenere, nec tamen auctorem laudare poſſe, qui de evictione reſpondeat: loco textus & fontis, qui ad putidos gloſſæ rivulos decurrunt, non navigant ut illi cum textu, ſecuri. (II.) JCtis non eſt licitum aliquid contra leges agere vel ſtatuere, cum paria dicantur eſſe, aliqua fieri ſine lege & aliqua fieri contra legẽ *Bl. in Geneſi circ. c. fin. d. Elect.* (III.) Extra judiciũ in commũni vita narrantibus quodlibet factum fidem non habere ſolemus, niſi producant teſtes ſuos: cur igitur actoribus, Advocatis , Profeſſoribus & Judicibus jura allegantibus & non probantibus eſſet credendum quicquam ? rectè *Everh. loc. comm. 81. n. 1. Si adverſarius dicat, aliquid fieri debere de jure, poteſt dicere Advocatus, doce, quia hoc nulla lege cautum eſt : à parte enim ea quæ jus allegat, jus debet probari. l. 5. ff. d. probat. ſecundum vulgare Advocatorum verbum: Legem pone mihi Domine.* (IV.) Certitudo & veritas cauſæ penes illum eſſe creditur, pro quo ſtat ipſa lex & qui procedit per viam Silicatam, id eſt, per textus legum & hos diligenter conſiderat. *Bl. part. 4. Conſ. 101.* (V.) Periculoſum hoc eſſet ſi Legibus ſuperaddere

dere pro lubitu quid liceret JCtis, de quo in lege suâ legislator vel planè non cogitavit, vel hoc omittendum, vel requirendum hoc ipso silentio suo significavit, ne quid tam contra quam præter intentionem legi & legislatori affingatur. (VI.) JCtis & interpretibus Juris pro termino & limitibus inter quos se continere debent, si extra oleas non velint vagari, leges debent esse, ex quibus sensum juris debent eruere non inferre: mentem legis loquentis indagare, non excogitare, effingere, aut alia pertinentia, impertinentia, ne dicendi & loquendi materia deficiat, undecunque corradere: consequentias enim, si sibi relinquantur, ex consequentiis nectent, & à minutis ad majora progressi per soritem quendam paulatim à vera legis discedunt intentione & ad prorsus non cogitata deveniunt. *l. 65. ff. d. R. I.* Consequentiæ non est consequentia, sed sisti debet extensio intra casus proximos, alioqui labemur paulatim ad dissimilia & magis valebunt acumina ingeniorum quam auctoritates legum. *Franc. Bacon. de verulamio tract. de dignit. & augm. scient. l. 8. c. 3. rubr. d. font. jur. aphor. 11. & 16.*

XX.

AUctoribus & auctoritatibus si hic mihi pugnandum, certè Imperatoris nostri *Justiniani* auctoritas erit instar omnium, qui cum Princeps esset, cujus placitum legis habebat vigorem, tamen ex absoluta potestate & manu regia non ausus est absque legum suffragio quicquam statuere, etsi assiduis liberorum naturalium precibus & fletibus fatigatus, ut intestatorum quoque parentum hæreditatem quasi legitimâ cernere illis liceret, postquam concubinarios testamento naturales suos liberos usque ad Sextantem hæredes instituere jam permiserat, sed memor Rescripti Divorum

Severi & *Antonini* in §. *f. Inst. quib. mod. test. infirm.* cum protestatione quasi inquit, *Nov. XVIII. cap. V. Semper equidem clemens aliquid definimus, sed quia non hoc cum lege agimus, erubescimus*: per leges enim antiquas ad castitatem & justi matrimonii prærogativam tendentes, hoc tam facile concedere non poterat, cum omnis mutatio, maximè subitanea in legibus sit periculosa, ad quam Imperatores gradatim solent procedere & viam sibi munire §. *f. Inst. qui & ex quibus caus. man. Nov. 119. c. 2.* Idem profitetur Imperator noster in *Nov. 2. c. 3. nec qualibet est lex aliquid tale dicens, & l. 5. C. d. repud. nulla præcipit juris constitutio. l. 14. C. d. collat. eo quod nulla constitutio super hujusmodi collatione posita sit. l. 4. C. d. jur. Fisc. ibi: nulla legis sanctione statutum est, & in l. un.* §. *11. inf. C. d. cad. toll.* ubi legatariis disjunctis portionem defectam cum onere deferri ex eo non permittit, quod & conjunctis cum onere voluerit accrescere, nam si idem in illis voluisset, utique fuisset hoc expressurus testator; non hic ergo à simili patiebatur argumentum Imperator aut per hoc excogitata supplementa, sed dum præteriti sunt disjuncti, eo ipso reputat pro exclusis: vide ibid. *Clariss. Brunnem.* Ita timidius extra legem etiam alii solent agere Imperatores, uti videre est ex exemplo *Diocletiani* & *Maximiniani*, qui in *l. 5. C. d. repud.* Schyroni cuidam rescribunt: *invitam & maritum redire nulla juris præcipit constitutio*: & illud: *Hoc nulla legis sanctione statutum est*, ingeminant in *leg. 4. inf. Cod. de jur. Fisc.*

XXI.

HOc imperatorum exemplum imitati sunt ipsi Pontifices. *Bonifacius IIX. in c. 18. d. sent. excomm. in 6to*: ibi: *cum id non sit expressum in jure. Alexander* III. Ordini Cistercienfium privilegium ac decimarum immunitatem concessam, de terris suo labore ac sumptu excultis ad novalia sola

restrin-

reſtringi non permittit. *In c. 12. X. de decim.* dicens: *nam ſi intelligeremus tantum de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus*, ac ſi diceret, quam facile dictu foret nobis ſi ea noſtra voluntas eſſet: ex ipſa igitur omiſſione hanc voluntatem noſtram colligatis. Pontifex *Honorius* III. ſede vacante vices Epiſcopi in præbendarum collationibus non vult gerere debere Capitulum, quia nusquam hoc reperiatur cautum in jure. *c. 2. X. ne ſed. vac. Innocentius* III. eleganter Decano & *Capitulo Andegavenſi* reſcribit. *Quod non eſt ſanctorum Patrum decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum, præſertim cum nonnunquam intelligatur prohibitum, quod non invenitur conceſſum cap. 2. in X. d. translat.* Per hanc regulam noſtram negatur in *c. 5. X. d. Stat. monach.* quod à regimine Eccleſiarum Canonici regulares ſint aut debeant eſſe excluſi; nam in Concilio Lateranenſi licet caveatur de monachis ne ſinguli per oppida & villas, per quascunque paroeciales ponantur Eccleſias. *c. 2. ib.* in quem ſenſum quoque *Urbanus* III. reſcripſit *c. 1. d. capell. monach.* quia tamen de Canonicis regularibus ſpecialiter non cavetur, admittendos putat *Innocentius* III. utpote qui nominatim non reperiantur excluſi. Sic ex ejusdem regulæ fundamento, qui excommunicato ſcienter communicant, non tamen in crimine ſed alias, in oratione vel oſculo, aut orando ſecum, vel etiam comedendo, non neceſſe habet abſolutionem ab ipſo excommunicatore vel etiam à Papa impetrare, ſed poſſe hoc beneficium à ſuo Epiſcopo vel proprio obtinere Sacerdote: quamvis enim ipſo jure habeatur pro excommunicato, is qui excommunicatis communicat. *c. 15. X. d. ſent. excomm.* quia tamen conditor canonis, ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter haud reſervavit, ut in caſu *c. 18. eod.* factum eo ipſo videtur aliis eam relaxandi poteſtatem reliquiſſe. *c. 29. eod.* Sic in *c. 2. §. ſed neque X. de translat.* negatur, quod ullus

Episcopus vel certè electus saltem, post acceptam confirmationem, Ecclesiam suam relinquere & ad aliam transire possit; licet etiam interveniat auctoritas Metropolitani; nec obstat, quod potestatem habeat Metropolitanus, negligentem eum plane deponendi, cur ergo non & transferendi? Qui enim potest quod plus est, potest etiam quod minus *l. 21. ff. d. R. I.* nam respondetur, illud Papam expreßè indulsisse non item & hoc: non licet ergo ulterius inferre, quam permittit Legislator, & quod canon non dicit, nec nos dicere debemus.

XXII.

NOn possum hic præterire veteres JCtos nostros, dictos *Iuris auctores l. 3. §. f. ff. Si pars hæred. pet. l. 39. ff. d. act. empt. l. 32. pr. d. usur. l. 3. inf. Cod. d. repud. l. 1. C. d. V. S. l. ult. §. 3. C. de Curat. fur. l. f. pr. C. d. injur.* item, *Iuris conditores. l. 23. C. de procurat. l. 15. C. d. nupt: l. f. pr. C. d. don. ant. nupt.* quibus frequentius nil est in ore, quando Prætoris interpretantur Edictum quam illud, *Non dixit Prætor: Ait Prætor, ait Trajanus, ait Lex: l. 71. §. 5. ff. d. acq. hæred. l. 5. ff. d. rè jud. l. 16. ff. d. jur. Fisc. l. 21. ff. ad L. Aquil. l. 1. ff. quod vi aut clam. l. 71. §. 3. ff. d. acq. hæred.* Huc pertinet illud quod in *l. 64. §. 9. ff. sol. matr.* scriptum: *De Viro hæredeque ejus lex tantum loquitur; De Socero, successoribus Soceri nihil in lege scriptum est, & hoc Labeo quasi omissum adnotat. In quibus igitur casibus lex deficit, non erit nec utilis actio danda: Labeo* ingenii sui fiducia fretus, ultra tamen legem progredi non fuit ausus, nobilem *Vlpiano* & notabilem reliquit observationem: quod JCtus ultra legem sapere non debeat, nec Judex prudentior, clementior vel severior eâ ut magistrâ sua sibi videri. *Bart. in l. libertæ tuæ 8. n. 1. C. d. oper. libert. hoc inculcat. per §. oportet. Ath. de Iudic. Math. Colerus in præl. Acad. super c. 4. X. de præscript. n. 99.* Si usum regu-

regulæ noſtræ certe non ſterilem aut rarum per recentiores noſtros JCtos vellem probare, poſſem innumeris exemplis per omnes Juris publici & privati materias eum ulterius manifeſtum reddere: ita per hanc negatur ad introducendam conſuetudinem decem annos requiri uti volunt *Zaſius Comm. ad ff. d. ll. n. 77.* deceptus epithetis illis, quibus vocatur in jure, longæva, diuturna, vetuſta, inveterata, *l. 33. ff. d. ll. l. 2. C. quæ ſit long. conſuet. §. 9. Inſt. d. jur. nat. gent. & civil. l. 1. §. f. ff. d. aq. & aq. pluv. arc. eſt*, quia hæc epitheta tractum tantum temporis materialem important non verò præcisè, id quod termino technico LONGUM TEMPUS formaliter in jure dicitur, nihil inde neceſſario concludi poteſt, maximè cum nulla lex ſit, quæ hunc collectum numerum definiat, ideoque judicis arbitrio hoc relinquunt. *Cujac. in par. C. quæ ſit long. conſu. Colleg. Iurid. Argentorat. ad tit. ff. d. ll. th. 71.* Clariſſimus JCtus *Menochius* Imperatori noſtro perhibet teſtimonium, *libr. d. recup. poſſ. remed. 9. n. 387.* quod non niſi cum longa præfatione antiquas conſtitutiones ſoleat abrogare, & *l. 6. præſumpt. 38. per tot.* diſquirit an & quando leges vel ſtatuta antiqua, ex præſumpta mente Legislatorum novis legib. vel ſtatutis vel privilegiis conceſſis & promulgatis correcta & mutata dicantur: & *num. 4. aſſert.* non uno in loco ſcripſerunt *DD. Non conſueviſſe legumlatores nova lege corrigere & mutare antiquam, niſi præfatione aliqua præmiſſa.* De Collegi Electoralis origine quærunt multi, quo tempore jus eligendi Imperatorem Principibus reliquis ſit ademptum & in Septemviros excluſivè translatum? Negamus illud *Ottonis* III. Imperatoris, ſive *Gregorii* V. Papæ conſtitutione

Orat. de elig. Carolo V. ad Ottonis III. provocat constitutionem: ast monstrentur nobis tabulæ, monstretur nobis constitutio illa *Ottonis. Aurea Bulla Tit.* I. *verbo: juxta antiquam*: consuetudini hoc tribuit, quæ constitutioni opponitur: & quia omnes Scriptores usque ad *Friderici* II. Imperatoris tempora silent & contrarium testantur, scilicet Procerum communi consensu & suffragio Imperatores lectos, ideo & nos hic sine lege loqui erubescimus. Vide *Clariss. Struv. S. F. c. III. a. 7. n. 11. p. 100.*

XXIII.

Regulæ nostræ campus est satis speciosus & patens, imò si ratio aut institutum nostrum posceret, aut etiam vacaret plura exempla congerere, aut regula nostra de cujus veritate nemo dubitare potest, id exigeret, ampliorem eam facere possemus, sed cui bono? Bonarum quoque rerum modus est. Ast quia nihil tam sacrum, quod non aliquando inveniat sacrilegium, nihil tam verum, quod non habeat contradictorem, operæ pretium esse duxi, adversariorum hic nonnulla proponere sophismata, eorumque fallaces conclusiunculas & ἀσθενείας summo tantummodo apice notare, ne circumcisum mihi otium magis circumscindam. Objiciuntur itaque hic nobis dicta, quæ multis sed elementariis Viris & Studiosis videntur scita ac satis faceta, nempe, si ultra legem sapere non debemus, quis usus erit JCtorum & Interpretum? Quid opus argumentis uti & conclusionibus? An legislator compellendus, ut singulos casus, omnia momenta & circumstantias, omnes eventus prævideat ac legibus includat ac determinet? An id tantum lege continetur, quod verbis exprimitur; annon etiam illud quod ex sententia & mente legis per certam rationem eruitur *l. 6. §. 1. ff. d. V. S. l. 12, 17, 29, 30. ff. d. ll.* An id

statim

ſtatim quod expreſſis verbis non reperitur, arguere licet aut omiſſum aut remiſſum, aut plane prohibitum aut permiſſum eſſe? Annon lex generaliter loquens ſæpius eſt reſtringenda? Annon multa non expreſſa in lege ex principiis juris ſupplenda? Pro adjuvanda doctrina & conciliatione controverſiarum, quot diſtinctiones quas vocant magiſtrales Interpretes noſtri introduxerunt. v. g. *Iuris Gentium* in *primævum* & *ſecundarium*: *Infamiæ* in *juris* & *facti infamiam*: *uſufructus* in *formalem & cauſalem &c.* Argumentũ in genere à non dicto vel non ſcripto, ad non factum non procedit. Me certè bellæ hæ rationes in contrarium allatæ nil movent, etſi plauſibilis ſit illarum ſpecies, quare poſitis nonnullis diſtinctionibus & concluſionibus, in ipſo conflictu cum Dominis Opponentibus peremptoriè diſputabo, ita ut nullum dubium, nulla contrarietas & ἐναντιότης ſupereſſe poſſit: quare fatuis his ignibus ad Solem veritatis diſpulſis, oſtendam Deo dante, veriſſimum eſſe principium illud JCtorum verorum & non monſtroſorum,

Erubeſcimus ſine lege loqui.

DEO TRIUNI GLORIA IN SEMPITERNA SECULA,

ET

ERRATIS VENIA.

COROLLARIA
D. D. RESPONDENTIS.

I.

NOn decet meretricem ducere in uxorem.

II.

Lothus filias ad ſtuprum offerens Sodomitis, peccavit.

III.

Falſus eſt Schneidevvinus, dicens Imperatori tantum ex publicis non provenire, quantum ſufficit ad alendas poſtas.

IV.

Bodinus Patriæ ſuæ per mendacia inſervire honeſtum arbitratur.

V.

Non ſemper peccatur in ſcandalo dato.

VI.

Hunni & Hungari non differunt.

VII.

Hodie Imperii Romani jura Imperatoribus noſtris adhuc ſuperſunt.

VIII. Rex

VIII.

Rex Galliæ frustra prætendit jus aliquod in Imperium Romanum.

IX.

Parlamentum Galliæ cum Comitiis Germanorum malè comparat Bodinus.

X.

Donatio Carolingiorum malè à Canonistis transformata est in donationem Constantini Magni.

XI.

Melius est viro honesto mendicare quam clanculum aliquid accipere.

XII.

Ex jurejurando & dictione dotis etiam nascitur verborum obligatio.

XIII.

Stipulatio sola sine alia causa non subsistit.

XIV.

In scriptis partes præsentes non celebrant stipulationem.

XV.

XVI.

Ex purâ obligatione qui debet, non statim tenetur solvere.

XVII.

Stipulatio annua vel menstrua est pura.

XVIII.

Per subjectam pœnalem stipulationem, precedens non novatur obligatio.

XIX.

Singulis reorum stipulandi solidum debetur, singuli reorum promittendi solidum debent:

XX.

Pactum unius ex correis debendi vel credendi non nocet alteri.

XXI.

Alteri stipulari nemo potest.

XXII.

Mulier fidejubere non potest: ast edocta de SCto Vellejano etiam extra judicium ei rectè renunciat.

XXIII.

Fidejussor non debet in plus obligari quam reus principalis.

XXIV.

Si obligetur in majorem summam, prorsus non obligatur.

XXV.

Fidejuſſor ad certum tempus acceptus, eo elapſo obligatus non manet.

XXVI.

Prorogatio termini ſolutionis fidejuſſorem non liberat.

F I N I S.